Q. D. B. V.

ORIGINES POMERANICAS

publice

edisserent

CONRAD SAMVEL SCHVRZFLEISCH,

ET

DANIEL TESMARVS,
Stargardia Pomeranus.

In Auditorio Maiori,


Ad diem XXX. Aprilis. Anno M DC LXXIII.

CVM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

Disputatio XXVI.
LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPIONEM,
cIɔ Iɔc XCIIX.



I. SCRIPTORES.



Vorum teſtimonia afferuntur, vel reſpiciunt illas regiones, qvas hodie Pomerani colunt, in qvantum a Vandalis, Svevis, ad Gothorum usqve limites tenebantur; ubi multo apud me loco ſunt Strabo, Pomponius Mela, Plinius maior, Tacitus, Ptolemaeus: vel in qvantum a Venedis, Vandalorum, Svevorum, Carinorum ſucceſſoribus habitatae ſunt, in qvibus cognoſcendis excelluit induſtria Iornandis, cum qvo coniungere licet Procopium, Theophylactum Simocattam, qvanqvam Procopius ratione eorum, qvae prodidit de Vandalis, adiungendus eſt primae claſſi, eodemqve reſpectu Zoſimus; at qvatenus memorat de Slavinis, ad alteram pertinet, accedentibus ex medio aevo aliis, qvorum fides atqve diligentia nulla cuiusqvam commendatione egent, interqve hos ſunt Adamus Bremenſis, praecipue Helmoldus, poſt eos ex XIII. Seculo Conradus Vrſpergenſis, Albertus Stadenſis, auctor anonymus Eccleſiaſtici tabularii Bambergenſis, cuius apud omnes bene ſentientes permagnum momentum eſt: VVitichindus Slavos VVollinenſes, Redarios, illiusqve in hac parte ſimilis Ditmarus Epiſcopus, ſive generatim Slavos, ſive ſpeciatim Redariorum qvandoqve nomine expreſſos commemorat, nondum in conſvetudinem recepto vocabulo Pomera-

norum. Vel in qvantum, praeter Venedos, referunt advenas recentiores, exempli gratia Saxones, qvorum historiam omni diligentia prosequuntur, qvi ab Sec. XV. usqve ad nostrum res Pomeranorum sive universe, sive sigillatim qvorundam, aut saltem insigniorum locorum complectuntur.

2. Faciunt insuper ad hoc institutum scriptores exteri, praesertim Danicarum rerum intelligentes, cuiusmodi sunt Io. Isacius Pontanus, admirandae vir industriae, Nicolaus Helvaderus, unde expediamus plerasqve lites finium regundorum, ex Polonis Prussisqve Alexander Gagvinus, Martinus Polonus, Michovius, Caspar Schutzius, ex Marchicis non praeter rem addentur A. Angelus, Sruthiomontanus, Entzelius, et similes.

3. Inter Chronica domestica laudem habent Stetinense, Gryphisvvaldense, qvorum illud magnopere expetunt eruditi, et commutato nomine vocant Iacobaeum, atqve eo loco habent, qvo non facile ullum aliud. Neqve hic nescimus Pauli Fridebornii, qvi Crantzium et Iobstenium qvandoqve, ac merito, notat, Chronicon Stetinense, et qvod Otto Ramminus scripsit ad decus huius urbis. Ad Stralesundica omnes nervos atqve industriam contulit Zacharias Orthus, carmine non inerudito.

4. Ex reliqvis, qvi huc attulerunt operam, alii aliis magis ingenio, otio, monumentisqve abundarunt, inter qvos non mediocri laude dignos se praestiterunt Pomarius, et qvi hunc perliberali testimonio laudat seqviturqve Cramerus, tum vero praeter hos et pleriqve ante in eo genere amplexi diligentiam sunt Ioannes Pomeranus, vero cognomine Bugenhagius, Petrus Artopaeus, ille Zeillero, hic Munstero

ſtero laudatus editusqve, Valentinus Eickſtadius (al. ab Eickſtetten) qvi in recondita rerum tabularumqve ſanctiorum Pomeraniae notitia facile familiam ducit, Thomas Ranzovius Ioachimus VVedelius, Nicolaus Mareſchalcus, qvorum annales atqve chronica multum curae laborisqve cum iudicio ſuſcepti praeſeferunt, nec omittendi ſunt Ioach. Balckius, Melch. Nehelius, VVintherus, qvorum iſte Chr. rhythmico celebris, hi nomine hiſtoriae civilis maiorem fructum praebent: demum inſtar omnium eſſe poteſt Ioannes Micraelius, qvi qvum in reliqvis, qvae condidit operibus, nomina auctorum, qvibus uſus eſt, praetermiſiſſet, hic velut ſub uno aſpectu praecipuos ponit, et annos atqve acta pulchre diligenterqve contendit.

5. Nec nihil hic aſſecuti ſunt Saxonici ſcriptores, praeſertim Crantzius, Dav. Chytraeus, cumqve his in eodem ſtudio verſatus eſt in Svevia Martinus Zeillerus, de Rugis etiam multa eruit Ioannes Regkmannus in Chron. Lubecenſi.

6. Epiſcopatus Caminenſis, qvi ab eo tempore, qvo Pomerania, imperio ipſe Pomeraniae olim ſine ſingulari Ordinis imperii iure ac dignitate innexus eſt, hiſtoria conſtat ex P. VVuia, conf. H. Conringius annot. ad Lampad. p. 311. et Sprenger in Lucern. p. 288.

7. Tabulae Principum ſtirpis, qvae Gryphorum dicitur, ſive confectae, ſive illuſtratae ſunt a Davide Chytraeo, Hier. Henninges, Ant. Albitzio, unde Duces Pomeraniae deſcripſit Gvaltherius Belga in Chronico Chronicorum Polit. a p. 1064. usqve 1068. Ioanne Engelberto, Io. Butovio, Mart. Marſtallero, Rudolpho Diepholdo, curante Henrico Sannemanno, Andr. Hildebrando, Elia Reusnero, Petro Bertio,

tio, Gabriele Bucelino, Nicolao Rittershusio, Tobia VVagnero, Ph. Iac. Spenero, et id genus aliis, qvi tabulas genealogicas reliqverunt.

8. Tabulam Pomeraniae Geographicam publica auctoritate composuit Eilhardus Lubinus, perinde ut Prussicam Caspar Hennebergerus, de qvo alias diximus.

9. Proximum his est, ut tradamus de terrae ingenio atqve opibus, qvae ex solo proveniunt, sed qvum id iamdudum factum sit ab aliis, nunc satis habeamus nominare Severinum Gobelium, qvi de electro, unde post Prussiam Pomerania celebratur, copiose explanateqve disseruit.

10. De actis Pomeraniae novissimis graviter et egregie commentatus est Bogislaus Philippus Kemnitz, qvippe tabulariis Svedicis et Commentariis Ochsenstirnianis usus, atqve ex eo Hermannides et Zeillerus, tum Adolphus Brachelius et Christianus Adolphus Thuldenus, sed uterqve interdum studio partium obnoxius, hic vero magis, et recte a Io. Loccenio castigatus, ac praeterea impar stylo, neqvid addam de Io. Micraelio et Io. Cluvero: reliqva sciri a qvolibet, et colligi ex Theatro Europaeo possunt.

I.

Pomerani, qvatenus ad memoriam posteritatis pertinent, longis inter Viadrum Vistulamqve sedibus positi, *a* unde hoc nomen adepti sint, *b* prius causam et modum, qvam qvas res gesserint, tradam, tradere autem inducti neqve ad invidiam, neqve in gratiam gentis.

a *Testes sunt non leves, iiqve minime pauci, et studio diligentiaqve consecuti, ut plurimum ipsis tribuatur. Iornandes ab seculo VI. scriptor suffragatur, et fidem facit. Venedos, quorum pars Pomerani sunt,* ab ortu Vistulae fluminis per immensa spatia venisse, ac freqventissimo numero illic consedisse. *Vistula ergo aut est principium, aut terminus numerandi Pomeranos: illo modo, qvi Iornandis instituto respondet, Slavos cis Oderanos, hoc trans-Oderanos vocabimus, qvi pertinet ad mentem scriptoris scholiorum in Adamum Bremensem, qvemqve declaravimus in dissertatione de rebus Pruss. Not. ad §. 2. Spectat huc tabula Germaniae in recensione Ptolemaei Munsteriana. De Procopio, qvi eodem seculo prodidit de Slavis, cuiusqve editio Hoeschelianа apud me est, vid. Io. Matth. a Sudetis. Adamus Bremensis exploratissimae vir industriae, et magnae apud nos autoritatis, Hist. Eccles. l. 1. cap. 13. graviter affirmat,* Oddoram vergere in Boream, ac transire per medios Vinulorum populos, donec perveniat ad Iumnem, ubi POMERANOS dividat a VViltzis. *Eadem verba exscribunt Helmoldus, cuius tamen in rebus Slavicis insignis opera atqve multa cura est, l. 1. cap. 2. qvo de Pomeranis tradit, et Albertus Crantzius Vandal. l. 2. cap. 19. Credoqve hinc factum, qvod Odera appellatur ditissimus amnis Slavicae regionis: ibidem. Sed magis se explicat Helmoldus lib. eod. rer. Slav. cap. 40. qvum refert,* Pomeranos habitare inter Oderam et Poloniam. *Consentit Daniel Cramerus in Chr. Pom. Eccles. l. 1. cap. 1. collat. cum cap. 9. cuius eruditionem auxit ornavitqve David Chytraeus, vir pro merito laudandus, qvanqvam acerbe notatus ab Everardo Reidano, in parte historiae Batavae. Conf. Io. Micraelius in erudito Chronic. Pom. ex qvo observamus 1. Pomeraniam Vandalo-Gotho-Teutonicam, cuiusmodi fuit Pomponii Melae, Pliniiqve aevo, licet nondum sub Pomeraniae nomine cognita. 2. Venedicam, sive VVendicam, a tempore Iornandis celebratam: 3. Saxonicam, ab advenis Saxonibus appellatam.*

Vt recte existimet Martinus Zeillerus in descript. ducat. Verd. p.551. non VVendos, sed VVandalos primum habitasse has oras, tametsi Cranzius utrosqve identidem confundit, ut ostendisse nos cogitamus, cum edisfereremus res Slavicas. Ac utinam eo melius expedivisset haec Io. Henr. Alstedius Chronolog. p. mih. 208.

b *Petrus Artopaeus arbitratur in descriptione Pomer. vocabulum esse VVendicae originis:* Pomerania, *inqvit*, ad mare Balticum sita, a primis cultoribus patria lingva, hoc est, Vandalica, Pomorzi appellata. *Sed perperam hic commutat rationes Vandalicae et Venedicae lingvae, si, ut exponit Ioannes Ravv Wetteranus in Cosmograph. descript. Pomeran. p. 484. more Cranziano loqvitur Artopaeus. Ne nunc addam, non ferendum esse, qvod Vandalos ea significatione, qva Venedos per errorem interpretatur vulgus, indigenas, sive Aborigines ipse nominet, eo qvod nemo sit, qvi non intelligat, Venedos advenas nominandos fuisse. Chronicon Cario-Peucerianum l. 4. p. 413. ratione derivandi Germanica asseqvi hoc studet, confirmatqve, Pomeranos qvasi* maris accolas *dictos esse. Amplectiturqve hanc sententiam inter alios David Chytraeus in Vandal. p. 4. nec qvicqvam impedit, ut seqvamur. Sunt tamen, qvi malint a situ littorali, qvem exprimit vetus Saxonicum, Marsch, ita cognominatos. Eo conf. Rein. Reineccius in histor. de Wiperto, Fournier Geograph. l. 3. c. 11. et Io. Micrael. in Chr. Pom. Qvod reliqvum est, nomen Pomeranorum nusqvam mihi obvium est ante sec. XI. Witechindus Corbeiensis annal. Sax. 1. Detmarus Merseburgensis meminerunt Redariorum, qvi tractum, ubi hodie Stargardia est, incoluerunt: nec contra me sentit Cranzius* Vandal. *lib. 3. cap. 4. qvi Rethram, qvam Adamus Bremensis l. 2 cap. 11. sedem superstitiosi impiiqve cultus idoli Radegast nuncupat, Stargardiam exponit. De Carolovingico aevo omnis posteritas in manibus habet chronica, annales, diplomata, in qvibus nil est invenire de vocabulo* Pomeranorum*: Occurrunt Abotriti, Sorabi, Hevelli, Vvilzi, cumqve his Smeldingi, sive Simeldingi et Linoves, seu Linones, A. Franc. Pith. ad A. 808. et scriptor* Vitae *Car. M. p. 271. Suurbi, ib. p. 255. sed de* Pomeranis *nil scio, qvod occurrat. Neqve est, cur aliter existimem de seculo, qvod proximum est, nisi tamen omnis cura, qva in hoc excutiendo usus sum, me fallit: fulcitqve sententiam hanc, qvod* Pomeraniae *insignior portio Slavania usqve ad Penemst. dicta sit, Alb. Stad. ad A. 971. idem ad A. 984. Vvinulos memorat,*

rat, quorum primos vocat Pomeranos sua aetate Helmoldus l. 1. cap. 2. Nec multo post Slavos subiicit Stadensis, altum vero ibi silentium est de Pomeranis. Qvod minime graviter ferendum est, siqvidem id subinde in aliis gentibus, et qvae ab una stirpe descendunt, usuvenire cognitum habeamus. Damus Alberto VViiukio Koialowitzio, eos, qvi olim Alani dicti sunt, nunc dici Litbuanos: nil tamen in hoc genere neqve laudi gentis decedit, si multo recentius, atqve opinatur Koialowicz, nomen hoc afferamus: plane ut nec Polonorum modestiae displicere potest, quod serius coeperit vocabulum hoc, quanqvam non ignoro, aliqvos vehementer laborare, qvo Lycophronis Strabonisqve Πόλαι *exponantur hodie, qvi Polonorum nomen ferunt: Georg. Hornius praefat. ad lector. super Boxhornii origines Gallic. Id saltem extra controversiam est, POLONORVM, qvatenus hoc modo expressorum, nomen esse saltem medii aevi. vid. Lineamenta Sarmatica nostra edit. noviss. De vocabulo Slavorum, de qvo alias pronunciavimus, vid. Alex. Gvagvinus Sarmat. Europ. At vero non attinet haec declarari magis, qvi non dubitemus amplius, sub tempus Henrici IV. Imp. invaluisse hoc nomen et Sec. XII. usu magis tritum ad posteros dimanasse. Theodorus Engelhusius Chronic. p. 169. ante Ruianiam (rectius Rugiam) item Vandaliam dictam fuisse admonet, sed explanatius loqvi debuit, et discernere migrationes, qvibus commutatio nominum inducta est. Iornandis Thurcilingos VVolfg. Lazius interpretatur Rugos, de migrat. l. 9. p. 643. Verum non exqvisite, qvia Iornandes Rugos et Thurcilingos distingvit lib. de success. regnor. Convenit mihi tamen cum Lazio in ea parte, qva spectatur una atqve eadem Teutonica origo, neqve abnuo societate migrationis innui propinqvitatem finium: Iornand. d. lib. p. 59. De Rugis liqvet ex Tacito de M. G. 34. De Thurcilingis colligitur ex Iornande, qvos tamen cum Thuringis non licet confundere, qvum Iornandes iam tum suo aevo hos ab se invicem distingvat, vid. de reb. Get. p. 142. Vocabulum Herulorum evolvit in annalibus Nicolaus Marescbalcus. Pometia, cuius meminit Marianus Scotus lib. 1. aetat. 5. p. 129. cum nostra Pomerania nil commune habet.*

II. Non qvaeram longius, qvod scribere institui, et spectabo inprimis mores, qvibus composuerunt vitam, simplices qvidem, et ideo procul fraude, (*c*) ac plane tales, ut

neqve odio facile, nec ambitione laborarent, praeterea ita probi ingenuiqve essent, ut posteris qvoqve inveterata harum virtutum opinio verterit in laudem, hosqve etiamnum incitet exemplo, qvum videant, qvam imitandi viam atqve rationem a maioribus acceperint, praesertim in eo laudis genere, qvod ad servandam fidem, ac praestanda hospitibus officia spectat.

(c) *Cum varia testimonia oculis contemplor, tum praecipue illud Helmoldi, cuius et insigne iudicium, et gravis in hanc rem sententia est, rer. Slav. lib. 1. cap. 2. qvi tantum honorem atqve ornamenta Pomeranis tribuit, ut qvis suspicari possit, falsis laudibus ornare voluisse.* Moribus, *inqvit*, et hospitalitate nulla gens honestior, aut benignior potuit inveniri. *Qvod de moribus dicit, vix est, ut existimem, pertinere ad omnes morum virtutes. Extat scriptor antiqvus, et fide dignus testis, qvi comprobat, Iulini, qvod celebre olim huius gentis oppidum fuit, cives crudeles atqve barbaros fuisse. Neqve id tantum de Iulinensibus, sed etiam de Pomeranis veteribus, non dicam in universum, generatim tamen et sine adiectione affirmant tabulae Ecclesiasticae Bambergenses, qvarum autoritas multum apud me valet, et vel eo argumento probatur qvam maxime, qvod Otto Episcopus Bambergensis, morum gentis optime conscius, et sacrorum ibidem faustissimus praeco, iis materiam suppeditaverit, de qvo vid. Conradus Vrspergens. ad A. 1024. edit. Argentorat. Abb. Stad. ad A. C. 1118. Atqvi vero iis continentur seqventia:* adiit (*Otto Ep.*) gentem Pomeranorum, gentem trucem, gentem armatam, et idololatricam, qvibus pro lege est capitum sensualitas, et religionis horror. *Conf. Cramerus lib. 1. cap. 14. Ceterum qvod hospitalitatem concernit, praeclare cognitum habeo, communem hanc cum Germanis laudem habuisse, de qvibus est apud Iulium Caesarem de bell. Gallic. l. 6. et Tacitum de M. G. cap. 21. Vt hoc indicium sit, Helmoldum eas virtutes, qvae inter ceteras qvasi familiam ducunt, attingere hic, et in populo alioqvin natione et vita insigniter barbaro, significantius exprimere voluisse, cuiusmodi tradit hospitalitatem, benignitatem, et qvae cum his cognationem habent, fidem, ac veracitatem, qvarum sicut egregium apud ipsos studium fuit, ita aeqvum erat, eo respectu laudari, tametsi,*

metsi, in qvantum crudeles memorantur, iustam apud alios reprehensionem incurrant.

3. Cum sacra facerent, usqve eo religione (*d*) tacti animi erant, ut numina, qvae superstitio finxerat, semper vocarent in partem, qvaererentqve oraculis rerum gerendarum auctores: abs Radegasto (*e*) precabantur victorias, errore antiqvo, et ad Obotridos qvoqve, qvi nunc Mecklenburg'ci dicuntur, perlato: Zvantevitlii opem invocabant Rugi, (*f*) ac si aut imminentis periculi sensus esset, aut petendum auspicium foret, responsum ab eo certissimum, et ad omen futurorum pertinens expectabant, nullo neqve solenni omisso, neqve ceremoniis neglectis, qvibus hunc placarent, qvoqve maior veneratio esset, caesam ex sangvine Christiano victimam, offerebant, ut una opera et litarent impio simulacro, et odium saturarent in Christianos. De Vvolgastensibus, (*g*) qvorum in parte cultus comperta obstinatio est, traditur, Herovietum Barovietumqve habuisse, qvos divinis honoribus afficerent, atqve eorum benignitate omnia conseqvi posse se, speravisse, alteriqve bellorum, alteri opum commerciorumqve curam tribuisse.

(d) *Nefas erat, vel prope ambitum fanorum, qvae inaugurato publicis religionibus ceremoniisqve condita erant, moliri aliqvid temere, aut facere praeter decorum solennis, qvod ibi peragebatur, sacri. Aperte Helmoldus,* mira reverentia circa fani diligentiam affecti sunt, *et paulo post,* neqve ambitum, *inqvit,* fani vel in hostibus temerari patiuntur: *lib. I. cap. 52. Exemplo est Bernhardus Eremita Hispanus, qvi, qvod impii ritus Pomeranorum indignatione incensus, securi verberaret templi ararumqve postes, duriter habitus, fustibusqve paene contusus, aegre vitam fuga servavit. Cramerus lib. I. cap. II. Ignominiosissimum supplicii, qvo sectae religionisqve suae adversarios mulctabant, genus fuit crux, cui affigebantur Christiani, ut miserabili funestoqve spectaculo referrent Christum, autorem sui nominis, cui id probro datum esse, facile intelligamus ex Helmoldo, loc. all. Propterea Otto Episcopus Bambergensis ex Pomerania redux, Pome-*

meranos vocavit barbaros, truces, idololatras, Christi hostes, memor laboris, qvem impenderat in reducendam pertinacissimam gentem, qvae iam duabus vicibus desciverat, ut colligit ex Alberto Crantzio Elias Reusnerus Isagog. ad A. 1124. Qvo factum est, ut Otto Pomeranorum apostolus diceretur, qvod evincere est ex Praesulum Bambergensium, qvi hoc titulo illum augent, epistola, anno, ut pro vero accipimus, 1121. post Christum natum scripta. Boleslaus Dux Polonorum aliis literis, qvae apud Cramerum lib. 1. cap. 13. extant, crudam Pomeranorum barbariem perstrinxit: et diu ante eum Helmoldus ingenitam genti crudelitatem, ac saturari nescii am exaggerat, l. 1. cap. 52. illo ipso etiam Thraces, de qvibus prodidit Florus lib. 3. cap. 4. Germanosqve veteres, ut ex Tacito constat, imitatam, qvod humanis hostiis litaret, velut est apud Helmold. d. l.

(e) Cur ita sentiam, causa est, qvod Helmoldus referat, argumentum victoriae fuisse, si, dum rem divinam facerent, sacrificia addidissent bonori Radegasti, 1. cap. 23. Crantzius Vand. lib. 4 cap. penult. Vnde minime dubium est, huic supplicasse, qvum victorias peterent, siqvidem eidem litarent, si victorias obtinuissent. Consentit Ditmarus Episcopus, qvi Retbram, qvam ipse Riedegastum vocat, a bellaturis salutatam, et a prospere reversis praemiis honoratam confirmat, lib. 6. p. 136. Qvod qvin ad Radegastiani idoli, qvod illic positum erat, cultum pertineat, non est temere ambigendum. Neqve saltem Obotritorum, sed etiam Riadurorum (Redariorum) hoc sacrum fuisse, nullo negotio elicias ex Helmoldo lib. 1. cap. 52. et lib. eod. cap. 2. c. 21, c. 23. Redarii enim procul dubio accensentur Pomeranis, et Retbre velut horum metropolis memoratur. Imago atqve effigies Radegasti, qvalem exhibuit doctissimus popularis meus H. Bangertus, vid. inter annot. ad Helmold. lib. 1. cap. 52. Conf. Cramer. lib. 1. cap. 32. Io. Georg. Schoch in summar. Chron. Lipsiens. p. 44. Paulus Friedeborn a profano hoc impioqve cultu derivat VVendo-Pomeranicae gentis clades atqve excidia, Histor. Stetinens. p. 7.

(f) Eo legi potest, qvi huius sententiae auctor est, Helmoldus l. 1. cap. 52. collat. cum lib. 2. cap. 12. cuius mentem recte asseqvitur, licet verba paulo aliter qvandoqve referat, Cramerus l. 1. H. E. cap. 41. addatur Io. Micraelius Chro. Pomer. l. 2. p. 166. Qvod Svantevithi (al. Zvantevithi) vocabulum documento est, qvantum valeat superstitiosa

aemu-

aemulatio, cuius specimen est apud Rugos, qui obliterato, quem Monachi Corbeienses induxerant, diviniori cultu, Viti, cuius tanquam Corbeiae patroni extare hic memoria debuit, producebant nomen, et sequendo literarum vestigia, materiam sumebant augendae superstitioni, ut post Helmoldum longe expresserunt novitii, iique domestici rerum Pomeranicar. Scriptores.

(g) *A Rugis, opinor, traditus quasi per manus error est: interim de confictis his Numinibus agit compendio Histor. Eccles. Pom. lib. 1. cap. 32.*

IV. Sed qvia coepi commemorare, unde antiqva gentis religio illustratur, opportunum existimo, reddere ex publicis commentariis, qvid sit, qvod tam sero ipsa mansvefacta fuerit, et perducta ad Christianorum partes, curqve ex tam magno temporis intervallo post Saxones pervenerit ad societatem melioris cultus; non modo qvod haec qvaestio dudum edita est in vulgus, sed etiam, qvia multa hinc pendent, qvae alibi consulto, hic nonnisi negligenter praetermittam.

V. Principio arguam obstinationem, qva diu stetit superstitio huius populi, et eo maiora incrementa cepit, qvod Christiani, qvi arma huc ferebant, non perinde in religionis propagandae, qvam praedae agendae spem erecti, (*h*) multa avare insolenterqve facerent, iactato qvidem iure in speciem causae, sed operae ita dissimili contrarioqve verbis exemplo, ut grassarentur licentius subinde, et turpius expilarent. Illud vero gravissimum inter has qverelas erat, qvod, qvum tam immodica tributa (*i*) imponerent nostri, non videri possent consulere pietati, qvi aliorum damna in suas utilitates verterent, qviqve hoc animo essent, ut saltem ditarentur ex incommodis suis. Praeterea mores furantium (*k*) odio erant, et qvia ignoti inter ipsos, invidiam nomini Christiano maximam excitabant; his malis accedebat, qvod tot diffidiis consumerent seipsos, nec magis rempublicam, qvam

eos, inter qvos in una republica omnis divini humaniqve iuris communicatio erat, perderent, ac certe in praecipitem casum darent. Qvo rerum statu haec mens Pomeranis erat, discedendum ab horum societate esse, qvia talia admitterent, qvorum auctores neqve ferrent inter suos, et multis modis aversarentur.

(h) *Ita cum pecuniae, qvam Pomeranorum Christo initiandorum studiosiores essent Christiani, valde stiterunt cursum coelestis verbi, ac non modo de sua laude detraxerunt, sed etiam, qvae apud barbaros moribus lenitate mixtis efficere poterant, neglexerunt. Helmoldus accusat finitimos Saxones, ut qvibus belli laborisqve auctoramentum avaritia fuerit, lib. 1. cap. 18. et 21. Nec tamen diffitendum est, belli more haec talia facta excusari, tanto magis, qvod Pomeranorum saevitia iram Saxonibus excitasset, qvod de Rugis annotavit Crantzius Vandal. lib. 3. cap. 23. 24. qvanqvam non ignoro, eos immodicis exactionibus irritatos, arripuisse saeviendi patrandaeqve necis occasionem, ut ibidem est cap. 23.*

(i) *Adbuc sui similis est Helmoldus, qvi affirmat, neqve Dei honori, neqve lucrifaciendis Deo barbaris studuisse.* Semper, *inqvit*, proniores sunt tributis augmentandis, qvam animabus Domino coqvirendis. *lib. 1. cap. 21. Qvae Helmoldo, ut gnarus hic omnium et perinde fidelis scriptor fuit, non invidia expressit, sed conscientia facti alieni. Interim conf. Crantzius Vand. lib. 3. cap. 18. et l. 4 cap. 24.*

(k) *Cramerus lib. 1. H. E. cap. 10. nil perinde ac furtum detestatos scribit, et qvod mireris, nec arcas, neqve armaria clausa habuisse, tum vero defugisse Christianorum societatem, qvod apud eos omnia obsignata occlusaqve essent metu furum, qvos ibi esse acceperant. conf. Id. id. eod. cap. 22. et Zeillerus in duc. Pomerens. p. 580. qvi qvidem ex eo allegat in hanc rem caput nonum, qvum decimum allegari oportuit. Qvod saltem indicio sit, Pomeranos suapte indole petiisse honesta, et ingenio magis, qvam institutione cultos abstinuisse furtis, prodito a veteribus Scythis exemplo, qvi neqve alienum concupiscebant, neqve furabantur, Iustinus II. 2. 5. 6. 7. contra qvam de Holsatis testatur Helmoldus lib. 1. cap. 47. artem furandi illic* ostentationem *fuisse. Nec multum abfuerunt vete-*

res Dani Norvvegiqve, apud qvos piraticam bonori fuisse, alibi comprobavimus.

(l) *Neqve hoc fingitur, sed iterum animadvertitur, asseverante Helmoldo, Henricos bellis distractos, non potuisse intendere animos in tam salutare atqve ad aeterna profuturum opus. Qvum enim de Slavis tradit, horum* converſionem, *inqvit,* Henriciani Caeſares non modice retardarunt, domeſticis videlicet praegravati *: lib. 1. cap. 40. Qvod qvin vel maxime pertineat ad Pomeranos, nulli dubitamus, tum propterea, qvae mox de Pomeranis ſubiicit Helmoldus, tum ob hiſtoriae Henricianae contextum, tum ob epiſtolam ſacerdotum Bambergenſium, qvi Ottonis Epiſcopi ex Pomerania reditum inſtantiſſime flagitabant, propterea qvod Henricus V. late vaſtaret agrum Bambergenſem, tum qvod Conrado III. regi Romanorum (vulgus imperatorem vocat contra indolem veteris ſtyli Teutonici, inqvantum pragmatici) curati huius ſacri negotii laus tribuatur, Vbb. Emm. rer. Friſicar hiſt. ad A. 1147. qvanqvam iſte Vandalos pro Venedis haud ſcite habet. Verum mitius pronunciandum eſt de Henricis, ut iam ante nos Monachus Italus Onuphrius Panvinius, qvippe qvi odiis Pontificum diſſidiisqve Ordinum impediti, ſuſcipere hoc propagandae religionis munus neqviverunt. In qva parte et laudamus candorem Helmoldi, cum domeſticis praegravatos ſcribit, et ſimul notamus qvalecunqve ſtudii Pontificii auctoramentum, qvum 1. Caeſares, 2. Henricianos appellat: altero enim ex obliqvo ſaltem iuri imperatorio detrahere videtur, altero innuere haereſin, ſi intelligat Henricianos notione Eccleſiaſtica, qva nomen ferunt ab Henrico IV. Imperatore, ee poſtulantur criminis, qvod dicitur Simonia, qvanqvam revera tantum convellebant iniuſtum Pontificis dominatum: I.H. Hottingerus Hiſt. Sacr. N. T. ſecul. XII. p. 300. Diverſi enim ab his ſunt, qvi appellati ſunt ab Henrico Tholoſano, de qvibus videatur Io. Gualterius Elench. haereſ. p. 538. Io. Micraelius Syntagm. hiſt. Eccleſ. p. 765.*

VI. Sed qvamvis haec et talia Pomeranorum animos exacerbaſſent valde, iamqve alienaſſent * prope a Chriſtianis, qvo et fugerent horum ſocietatem, et inſectarentur mores, tamen effecit cura Polonorum regis Boleslai Crivouſti, *(m)* atqve induſtria Ottonis Epiſcopi Bambergenſis, ut abſiſterent

con-

contumacibus inceptis, missumqve facerent barbarum ritum, ac Dei beneficio imbuerentur sanctioribus doctrinis.

* *Etiam paupertas Christianorum sacerdotum invisa, contra pompae splendorisqve admiratio fuit, Cramerus H. Eccl. 1. c. 11. et 16. collat. Quod alii insolentiae testimonium putant, alii cognoscendi, qvod commercia atqve negotiationes inprimis ibi valuissent. Helmold. lib. 1. cap. 2.*

(m) *Gabriel Bucelinus monachus VVeingartensis, idemqve rerum VVelficarum, qvarum prima initia scite recensuit Io. Baptista Pigna, Alfonsi II. Ferrariae Ducis Cancellarius peritissimus, nucl. part. 2. in chronolog. descript. rer. German. ad 1124. Henrico VVelfo, cui Nigri cognomen fuit, iuxtimqve Ottoni Episcopo attribuit laudem collocatae operae in perducendis ad sacra nostra Pomeranis: Polonici vero pariter et Pomeranici scriptores cum Ottone Boleslaum nominant. VVartislanus tamen ante adventum Ottonis Ep. in Germania Christo nomen dedit, Cramerus lib. 1. cap. 12. Pertinetqve huc expeditio sub tessera crucis, qvae non modo contra Saracenos, sed etiam contra Pomeranos atqve Mecklenburgicos suscepta est, ut post Slavicar. rerum scriptores annotat Micraelius l. 2. de vet. Pomer. VVend. p. 245. Sed optarem ego hic antiqvos testes scriptoresqve superesse, qui plene iuxta et fideliter haec acta omnia, inqvantum huc pertinent, consignavissent: sed quae gravis Hermanni Conringii qverela est, not. ad Lampad. p. 189. destituunt Pomeranos domestici rerum veterum scriptores, et pauca sunt, quae ex Saxonicis Polonicisqve scriptoribus de iis colliguntur. Confer. Crantzius in Vand l. 8. cap. 26. Nec verbum est, qvod reperias de Pomeranicis Ecclesiis apud Adrianum Regenvolscium, qvum longo volumine tradit origines successionesqve Ecclesiarum Slavonicarum; nam et illae ad has pertinent, et adeo praetermittendae non erant, si permisisset institutum auctoris.*

(n) *Vid. post Vrspergensem, Abbatem Stadensem, Alb. Crantzium, Io. Duglossum, Salomon Neugebauer histor. rer. Polon. in Boleslao III. sive Crivousto, Abraham Buchholcer. Ind. Chronol. ad A. 1124. Daniel Cramerus H. E. l. 1. cap 13. Qvanqvam vero Pomerani obsirmatis plane animis sub initium essent, victa tamen prius ipsorum pertinacia est, qvam Prussorum Livonorumqve. De illis vid. Micrael. Chron. l. 2. p. 241. seq. De his*

Cran-

Crantzius in Vandal. lib. 6. cap. 10. David. Chytraeus in Livon. p. 17. illud vero in extremo huius commentationis ab aevo mythico repeto, atque ex hoc opinor transiisse ad Slavos, sive ut Joannes Beka, primus ex Christianis rerum Batavarum scriptor vocat, Viltos, unde ortum Pomeranis vendicamus, qvod duos Deos, alterum bonum, alterum malum, qui Zeerneboch nuncupatus est, crederent, Helmold. l. 1. cap. 52. simili prorsus errore, qvo Manes Persa multos infecit, de qvo vid. Eusebius, Epiphanius, Augustinus, postqvam Manichaeae sectae nuncium misit: ut iure eum Leo M. Magistrum omnis detestandae perversitatis appellaverit.

VII. Postqvam recensui, qvae ad sacra pertinent, eadem fide referam, qvicqvid de veteri Pomeraniae statu accepi, qvamvis primordia, ut reliqvarum fere gentium, obscura sint, et paucis, neqve certis semper monumentis tradita: si tamen ultimas origines respicio, ac vetustissimos huius terrae habitatores, Gothorum Vandalorumqve genus fuisse affirmabo: (o) simul ac vero hos incessit migrandi cupido, ut aris focisqve patriis relictis, discederent alio, ac peterent Romanorum ditiones, Slavi, (p) qvibus ex Sarmatia facilis aditus erat, novam indolem moresqve in hanc regionem attulerunt, Slavicamqve lingvam in posteros transmiserunt (q) ad qvos profecti Saxones, hospitioqve usi, consvetudine sua paulatim emolliverunt, et lingva tandem ac legibus suis imbuerunt, et qvod Friderici Aenobarbi aevo publicis rebus conducebat, hortatu suo effecerunt, ut Pomerani amicitia, fide atqve officio parendi se coniungerent cum Germanis, (r) ultroqve iam iis accederent, qvorum odio antea flagraverant. (s) Ita in ditionem imperii volentes redacti, nec vi ulla, neqve armis compulsi, obseqvium erga imperatores constans servarunt, et pro lingva VVendica Germanicam receperunt.

(o) *De Gothis, Vandalis, et utrorumqve accolis Suevis, qvatenus*

tenus migratio illustravit, in compendio prodidit Isidorus Hispalensis, ferme princeps inter seculi VII. scriptores. Mihi hoc loco satis sit attingere, qui approbare volunt, migrasse quidem illos populos, et adiisse alienas terras, sed mansisse tamen Aboriginum reliquias aliquot, et a stirpe veteri servatas duravisse. Quod usque adeo confirmat Io. Micraelius, ut credat, horum vestigia, et una Germanici sangvinis, extitisse nuper in Pomeraniae Ducibus, quod tamen mihi valde dubium, quinimo falsum videtur; neque etiam, quod subveretur Micraelius, obstat dignitati veterum Principum, descendere ex VVendis: neque scio, unde probari contrarium possit, nec assequor, cur hodie pragmatico stylo reges Septentrionis, Marchionesque Brandenburgici titulum a Vandalis sumptum gerant, quem tamen a Venedis, sive VVendis receperunt, quemque a XII. inde seculo sortiti Dani, postque hos a sec. XIV. Brandenburgici, ad haec usque tempora retinuerunt. Confer. Helmoldus, Crantzius Vandal. lib. 3. cap. 30. et lib. 6. cap. 24. Io. Is. Pontanus lib. 5. rer. Dan. Io. Micraelius lib. 2. Chron. Pomer. Conring. de finib. Imp. cap. 16. Non hic displicet, quod Goldastus scribit de regn. Bohem. lib. 1. cap. 9. p. 70. primum Lotharium II. inauguravisse, seu ut ipse loquitur, infeudasse hoc titulo Daniae Svediaeque reges: praeterquam enim quod legam apud Stadensem ad A. C. 1163. VValdemarum regna Daciae (ita medio aevo Dania dicebatur, ut recte observat Io. Meursius in notis ad Aelnothum. p. 93.) et Sveciae ab imperatore, id est, Friderico I. suscepisse, observo etiam, Canutum Danorum regem Slaviam, quatenus Obotritos continet, clientelari beneficiarioque iure a Lothario II. accepisse. V. Helmold. lib. 1. cap. 49. tum vero Rugiam belli titulo sibi asseruisse: confer. Zeillerus in Pom. p. 600. 601.

(p) *Seculo VI. finiente, atque adeo a Iornandis excessu, neque impetu, aut uno statim agmine, sed paulatim subierunt in haec loca Slavi: Conf. Io. Fidlerus in reb. Muglensib. ex Cyr. Spang. annus vix definiri certo potest, Micraelius lib. 2. p. 140. Saltem pro certo habeo, A. C. circiter 550. Slavos Lechios in Poloniam migrasse, ut Herburtum Vapovium, et plures consentientes habeo, A. C. autem 600. quod seculi VI. finientis notam habet, aut forsan, ut aliis placet, VII. ex his profectos esse, qui hodie Pomerani dicuntur: VVilzi sane, qui origines*

ad Pomeranos referunt, iam tum IIX. seculo ab his oris ad Albim egressi, bello Carolingico occupati fuerunt, ut liqvet ex Annal. Fr. et Conrad. Vrsperg. ad A. 789.

(q) *Lingvae Slavicae in Pomerania usum terminavit annus 1404. Io. Isacius Pontanus, et ex eo Zeillerus descript. Pomer. p. 600. postqvam enim a seculo VI. desierat lingva Gothica sensim, et successerat VVendica in locum, longo tempore haec valuit, Pomeranosqve barbaris propius iunxit, donec sumpto ab advenis Saxonibus exemplo, insignis lingvae morumqve commutatio fieret, ac seculo XII. parvi fieret, XV. autem prorsus aboleretur. Id vero hic, ut alibi, dolendum est, qvod nil descriptum a veteribus VVendis, vel ad qvaliscunqve rei memoriam superfit. Innuit tamen Micraelius lib. 3. p. 304. Pomeranos, ex qvo in consortium Germanici iuris assumpti fuerunt, abrogasse VVendicam lingvam. Vtrum decretum publico? Nullum tale factum promulgatumqve est. Qvin imo ipse Carolus IV. Slavonicam lingvam publica sanctione approbat, et eo loco habet, ut praecipiat Septemvirorum filiis ediscendam. Qvo non Bohemiam modo, licet praecipue hanc, sed etiam alias imperii ditiones, ut Carinthiam, Carniolam, Moraviam, Lusatiam, et ut tunc adhuc aliqvatenus saltem erat, Pomeraniam respicere mihi videtur. Hier. Megiser. Chr. Carinth. lib. 6. cap. 47. Edit. Lipsiens. Frideborn. Chron. lib. 1. p. 7. An ergo cessavit tractu qvodam temporis, et lente ac contraria cultioris lingvae consvetudine, atqve saltem nonusu avitae illius et allatae per VVendos? Nolim temere repugnare, nec diffiteri tamen, lingvam VVendicam non esse hodieqve tantae in republica Germanica dignitatis, aut necessitatis, qvantae olim fuit, neqve amplius teneri Electores ad notitiam huius lingvae comparandam, neqve ea expediri ulla imperii negotia, aut publica confici instrumenta, Limnaeus ad A.B. cap. 30. §. 1. Obs. 35. qvanqvam in regno Bohemiae, qvod Austriis hereditarium cessit, adhuc eius pragmaticus publicusqve usus sit, ac ipse viderim Pragae tabulas cum Germanica, tum Slavonica lingva regis Bohemiae nomine editas.*

(r) *Frisingensis Praesul, qvi sec. XII. floruit, cuiusqve fides insignis est, tradit, Lotharium II. Pomeraniam Rugiamqve beneficiaria civilisqve imperii lege sibi obligasse: Chron. lib. 7. cap. 19. sed ea non*

tam Pomeranorum proceres, ut manifestum est, quam Poloniae Ducem Boleslaum III. respiciunt, in cuius potestatem Pomerania aliquando titulo belli venerat, Neugebauer lib. 3. p. 90. conferendus cum Cyr. Spangenb. in Querfurt. Chron. p. 207. cui Svantiborus Pomeraniae regulus, ob taedium captivitatis finiendum, paulo ante obseqvium, sed non servatum promiserat, Cramerus H. E. lib. cap. 9. Itaque demum ad historiam Aenobarbicam pertinet vera, ac solennis inauguratio beneficiaria Pomeraniae Principum, qvam describit Albertus Crantzius Vandal. lib. 6. cap. 14. his verbis. Igitur venientes in castra Caesaris Principes Pomeranorum ducali nomine, traditis aqvilis cum bannerio insigniuntur, factaqve de homagio fide, in propria revertuntur. *Recte omnia habent, nisi qvod ea, quae de* traditis aqvilis *prodit, crucem historicis figant: nam prorsus ineptiat, qui putet, aqvilas honoris insignium gentilitiorum principibus Casimiro et Bogislao datas fuisse. Nam neqve vestigium huius rei usqvam extat, neqve occurrit ullum fide dignum monumentum, nec recordor ullum praeteriti temporis spatium, qvo Pomeraniae Principes in insignibus usurpaverint aqvilam. Eo conf. Io. Micrael. et Paul. Friedeb. lib. 1. p. 36. Ut Chronica, qvae contrarium meminerunt, aut recentiora sint nimis, aut hoc ipso evidens indicium falsitatis prae se ferant. Ritum ergo saltem signat beneficiariae inaugurationis, non concessionem hereditarii insignis, qvod gryphi volantis imagine expressum est, cuius originem Gothis qvi acceptam ferunt, coniecturis indulgens, nec certiora proferunt, qvi nescio qvo autore a dynastis Gryphiis, qvos ex eqvestri ordine Sarmatarum efferunt, nimis curiose repetunt. Neqve huc pertinet Grypus ille, de qvo Bongarsius ad Iustinum commentatur XXXIX. 19. Verum enim vero his omnibus missis, subiiciemus tabulam, qva Casimiri et Bogislai genus exhibetur.*

Svan-

Suantiborus. α.

VVartislaus β. *Ratibor.* *Bogislaus Svantipolcus* ἄγαμος.

Bogislaus II. Casimirus. γ. *VVartislaus II Svantipolcus. II.*

Vratislaus Svantiborus. Adolphus. *Subislaus.*

Vratislaus III. Bogislaus III. Barnimus I. Casimirus Sambor. Mistovvinus.

Barnimus II. Otto Bogislaus IV. *Subislaus II. Adelbeid.* ἄπαις.

Svantipolcus III. Sambor. Ratibor. VVartislaus. δ.

VV*artislaus. Mestovinus.* ε.

α *Svantibori maiores, cuiusmodi praebet historia fabulosa, hic non adducimus: laudamus tamen monumenta Olivensia, ubi olim Principum Pomeraniae tumuli fuerunt Micrael. lib. 2. p. 217. Atque ille ipse est, qui alias dicitur Svvantiborus Magnus: Samuel Svvalbius in orat. ad Philippum II. Pomeraniae Ducem, apud Paul. Friedeborn. 3. p. 65. Idemque plena potestate integram Pomeraniam adeptus est, nulli ulla parendi lege aut clientis fide obnoxius, Cramerus lib. 1. cap. 9. indicio successionis, ac iam paulo ante stabiliti hereditarii iuris; sed quum hoc non contentus, moliri vellet immanem dominatum, ac libertati superiori adversum, VVendos in se concitavit, ac usque adeo hoc odium auxit, ut carceri includeretur, unde liberatus est a Boleslao III. Neugebauer. lib. 3. p. 79. Micrael. lib. 2. p. 220. 221. De filia eius Slavina, quam Critoni nuptum dedit, nil addimus, cum non faciat ad exprimendas, quas hoc loco intendimus, successionis vices, et conversionem familiarum: perinde ut consulto omittimus Mestovvini vices filias sub lit. δ. Conf. Micrael. Chr. p. 270.*

β. *Hi fratres diviserunt Pomeraniam; citerior VVartislao et Ratiborio obtigit, ulterior Bogislao et Svantipolco: VVartislaus fuit fratrum natu maximus, et primus in Pomeranorum gente Princeps Christianus, Ottonisque Episcopi opera sacris initiatus, Helmold. lib. 2. rer. Slavic. cap. 4. sed in eo quaedam opinionum dissensio est, utrum in Pomerania, an ante adventum Ottonis in Pomeraniam sacro lavacro tinctus sit? illud asserit scriptor vetus anonymus, et Merseburgum nominat, et simul indicat, ibi sacro fonte ablutum fuisse. Conf. Cramer. H. E. lib. 1. cap. 12. Aliud, opinor, sentit Svvalbus apud Friedeborn. allegato loco: At ipse Friedebornius nil decidit, remisso tacite lectore ad Cramerum, qui iusto volumine haec exequitur. De Ottonis adventu sciendum, repetita vice factum commemorari: priorem A. C. 1124. Conrad. Ursperg. ad A. 1124. Micrael.*

lib. 2. p. 230. Posteriorem A. C. 1128. Paulus Friedeborn lib. 1. p. 33. quanquam Chytraeus in Chronol. et Io. Cluver. epit. histor. in Henrico V. illius epocham ponant ad A. 1122. ab utrisque discedit Alb. Abb. Stadensis, et constituit in A 1118. Non inutile hic fuerit, contendere cum his rationibus epistolam Bambergensium sacerdotum, ob Henrici V. excursiones in agrum Bambergensem, ut nostra sententia est, scriptam anno 1125. qui Ottoni Ep. ad priorem reditum, Henrico V. demum ad mortem fatalis fuit: sed id calculo Stadensis non respondet, neque id moramur, siquidem hic obiter, Vrspergensis autem cum maiori cura, atque ex professo haec literis mandavit. Vt commodum festinantis preli mendum occurrat §. superior. 3. sub lit. d ubi pro 1121. exprimi debuit A. 1125. interim redarguendus hic error est Cyr. Spangenbergii in Chron. Querfurt. p. 224. qui Lothario II. tribuit, quod Pomerani recepissent Christianam fidem. Etsi enim Lotharius adhuc imperante Henrico V. accepit Saxoniae ducatum Helmold. lib 1. c. 35. Tamen id neque Lothario, neque Saxonibus ascribitur. Adam Bremens. l. 3. c. 25. collat. cum Helmold. l. 1. c. 18.

γ *Annus, quo recepti in imperii senatum sunt, memoratur 1181 Friedeborn. lib. 3 p. 35. qui tamen p. 9. a seipso dissentit: conf. Io. Cluverus ad A. 1181. Spenerus in sylloge p. 237. At vero Aubertus Miraeus lib. 1. cap. 39. de duc. Pomeran. refert annum 1182. Io. Micraelius in Chron. Pom. lib. 2. p. 261. ad oram ponit A. 1181. in syntagmate hist. mund. p. 1111, assumit A. 1182. Conf. Io. Gualter. in Duc. Pom. p. 1064.*

δ *Tres fratres, Sambor, Ratibor, VVartislaus, Cruciferorum Ordini, qui nuper in Prussia coeperat, portiones Pomeraniae quae ad ipsos pervenerant, dono dederunt, unde postea multa bella orta sunt, Micrael. lib. 2. p. 284. Chytr. in Chronol. p. 500. Fratres Cruciferos vocat, quia in Ordinem adscripti, Cruciferos heredes scripserunt. At Suantipolcus III. excusso Polonorum dominatu, nullo iure fiduciario teneri voluit. Micrael. l. 2. p. 271. seq.*

ε *Ad hunc integra Pomerania ulterior rediit, quo exhinc ad citerioris Pomeraniae duces devolvi iure oportuit: Sed is heredem instituit Premislaum, primum Poloniae regem, Micrael. lib. 1. all p. 228. Paulus Friedeborn. lib 1. p. 9. causam affert, et odium abrogati moris VVendici in Pomerania citeriori eo induxisse Mestorinum, confirmat.*

ζ *Ab Ottone et Bogislao natae propagines sunt, Stetinensis et VVolgastensis. In reliqua genealogiae parte pertexenda post Dav. Chytraeum, Dan. Cramerus, Friedebornius et Micraelius obvii sunt: praeter hos novitii plerique aut perperam mutant quaedam, aut confundunt. Tum vero ad fabulas accedunt, qui ante Suantiborum continuam Pomeraniae Principum seriem tradunt: inter quos ipse Micraelius syntagm. hist. mund. lib. 3. sec. 12. Geneal. ad p. 11.*

(s) *Vix obscurum esse potest, Saxones, qui huc commeaverant, cum agrorum culturam instauravisse apud Pomeranos, tum afflictam prope nutantemque ob tot bella rerumpublicam opere consilioque iuvisse.*

se. Sed propterea non dicendum est cum Bil. Pirckheimero, patricio Norico, et Maximiliani I. consiliario, Pomeraniam antiqvorum Ducum, praecipue Lovvenburgicorum ditionem fuisse. Vid. eius opera histor. a Melch. Goldasto edita p. 101. Non enim qvi vectigales facti sunt, protinus subditi censeri debent. Vid. Helmold. lib. 1. cap. 36. ubi statur, Pomeranos cum reliqvis Slavis Henrico Saxoniae Duci sub tributo serviisse, *non autem memorat in ditionem redactos, si vel maxime alii Slavorum, inprimis Obotriti et VVagrii redacti fuerant. Tametsi enim reperiantur, qvi asserant, Principes Pomeraniae ex antiqva Gothorum Vandalorumqve, atqve Germanorum adeo stirpe ortos, tamen nemo hactenus fuit, qvi diceret, ex Saxonibus prognatos esse Svantiboridas, in qvorum ditione Pomerania qvingentis fere abhinc annis fuit, nullo reliqvo, qvod qvidem sciam, Lovvenburgici iuris vestigio. Ne dicam, recentiorem esse Ducum Lovvenburgicorum titulum, qvam ut veteres Svantiboridarum origines attingat. Dabo alioqvi, hodiernos Pomeraniae cives Saxonum saltem maiori parte posteros esse, Duces tamen Pomeranorum semper excipiam. Tantum de Saxonibus addo, eorum adventum vel obscuriorem, atqve legibus Vvendicis astrictum, vel solenniorem, et magis liberum honorificumqve fuisse: de illo vid. Adam. Brem. lib. 2. cap. 11. et ex eo Helmold. lib. 1. cap. 2. de hoc Cramerus lib. 2. cap. 2. Micraelius lib. 3. p. 308. seq. Atqve hoc induxit Helmoldum, ut scriberet lib. 2. cap. 14.* Slavorum regionem dante Deo, totam redactam esse velut in unam Saxonum coloniam.

VIII. Sed qvam comiter eos habuit Fridericus I. tam multa indigne successores passi sunt sub Ludovico Bavaro, qvi Vckermarchiam, (*t*) qvae antiqvo iure ad Pomeranos pertinuit, ex formula repetebat imperio et sibi, ac filio Ludovico, (*u*) paulo ante septemviratus Brandenburgici dignitate aucto, possidendam dabat, qvo maiores potentiae vires adderet, conqverente interim Ottone I. Stetinense, et poscente restitui in ditionem, qvae morte VValdemari II. Brandenburgici (*x*) rediisse censebatur ad primos auctores, siqvidem

dem Otto I. eo loco atqve dignitate erat, ut Vckermarchiam, tanqvam avitam Ducatus Pomeranici partem, vindicare posset, et eo insuper animo, ut reipsa vellet. Sed nullae preces atqve obtestationes valuerunt, nec modo Vckermarchia, sed etiam principalis dignitas, qvae ab aevo Friderici Aenobarbi ad illud usqve tempus sanctissime servata fuerat, in discrimine versabatur, qvod Ludovicus Bavarus praeter meritum iudicasset, Ottonem I. Stetinensem, non ut antea imperio, sed Ludovico septemviro Brandenburgico beneficiaria lege obligatum esse. Haec et talia cum Ottonem valde pungerent, cepit consilium defensionis, et decrevit bellum tuendi iuris honorisqve causa, cuius curam cum ipse per ingravescens senium habere non posset, filio Barnimo III. commisit, (y) Itaqve hic iussu et voluntate patris, collatis signis cum Ludovico Marchione congressus, diversis praeliis victor, Vckermarchiam tandem recuperavit, et pactione, qvam Ludovicus Bavarus Caesar sua auctoritate ratam perpetuamqve fecit, publice atqve edito posteris iustitiae exemplo confirmavit. (z)

(t) *Nomen Vckermarchiae, qvod arcesso ab Veris, sive Vneris, qvorum iam cum Sec. X. meminit Regino ad A. 934. tertio decimo seculo invaluit, postqvam Barnimus I. A. CIↃ CC. XLIII. titulo dotis Ioanni Ascanio Marchioni hanc ditionis suae partem contulit, ac iurisdictioni Pomeranicae exemptam Marchiae Brandenburgicae adiunxit. Micrael. 3 Chron. p. 323. Paul. Friedeb. lib 1. p. 51. Zeiller. ducat. Pomerens descript. p. 562. Si vero adiectione Vckerae (unde alioqvi Vckaria dicitur, itemqve Marchionatus Vckeranus) sumatur, multo antiqvius est, et revocatur a Crantzio ad aevum Henrici Aucupis, lib. 3. Vandal. cap. 16. Non qvod nesciam, Marchiae, sive Marchae (utrumqve enim, imo et Marcae, scribitur) vocabulum iam diu ante, et qvidem temporibus Carolingorum, innotuisse. V. A. Fr. ad A. 788. inprimis scriptor vitae Lud. pii p. 341. Regino ad A. 952. sed qvia eius non pri-*

us

us meminerunt Saxonici scriptores, ut innuit dicto capite Crantzius, neqve prius meminisse potuerunt, siqvidem praefecturas limitum, sive, ut formam styli Tevtonici servemus, Marchias regni Germanici, in qvantum adhuc meros magistratus, et curationem provinciarum sine hereditario regaliqve iure denotabant, sec. X. instituit Henricus Auceps Germaniae rex, qvae postea evectae altius sunt, atqve auctae territorii iure. Interim eo legi possunt Matth. Dresser. in Henrico Auc. Georg. Sabin. de March. Brand. Ubb. Emmius rer. Fris. lib. 6. p. 85. qvanqvam Marchiae Brandenburgicae respectu ab his dissentit. VVolffgang. Iustus. Et forsan qvis ex Ditmaro Merseburgense colligat, nondum aetate Ottonis III. imp. hereditarias fuisse: tamet enim tam diu ante, ut ex Luitprando, Sigeberto ac tabulis publicis constat, Ducatus Comitatusqve hac lege censebantur; tamen ante Ottonum Saxonum tempora nec suspicio est hereditariarum Marchiarum, neqve ante tempora Henricorum satis validum argumentum. Ditmarus sane lib. 6. p. 152. Thiedricum nominat, qui ab imperatore titulo beneficiario Comitatum Patris sui Dedonis acceperit: Marcam autem *Bernhardo Comiti concessam ab hoc iure separat, si ea qvidem hoc loco explicanda est notione praefecturae limitis, adversus Boiobemos Ungarosqve institutae. Praeterea coniungit Marcam cum iis, qvae non proprio iure, sed regis nomine possidebat Comes Bernhardus. Significanter ait:* insuper Marcam, et qvicqvid VVernizo ex parte regis tenuit, hoc totum Bernhardo Comiti concessum est. *Qvo conferri potest lib. 1. p. 9. ubi originem Marcae Misnensis describit. Interim Adamus Bremensis memorat Marchionem* Sigafridum, *tanqvam praecipuum inter Comites, et Viros illustri dignitate ornatos lib. 2. H. E. cap. 32. Qvod saltem indicio fuerit, Marchiis serius accessisse dignitatem beneficiariam, atqve adeo prius ipsas, qvam ipsarum, ut loqvuntur, feuda fuisse. Tum vero Marchias extitisse plures, exempli gratia, Austriacam, Saxonicam, Misnensem, et Brandenburgicam, qvarum haec non ut hodie, ita olim primo originis suae tempore Brandenburgica dicta est: contra qvam censet P. Albinus Chr. Misn. tit. 9. VVittichindus meminit qvidem lib. 1. annal. Urbis Brennaburg, qvae seqviori tempore Brandenburg, scribi coepit, Ad. Bremens. lib. 2. cap. 8. Helmold.*

lib. 1. cap. 12. unde postea Marchia contra Henetos nomen tulit, non tamen vel verbum tradit de Marchia Brandenburgensi, qvatenus hoc nomine nunc appellatur.

(u) *Post Ascanios, inter qvos Septemviratus dignitatem, ut dip'omata indicant, primus habuit Ioannes I. Bavari, postqve hos Lucelbergenses, postremo Hohen-Zollerani Marchiam Brandenburgicam cum annexo Septemviratu adepti sunt V. T. VII. Hist. Aug. P. Bertius lib. 2. cap. 13. item Chron. Marchica, et novissima Genealogia huius familiae. Verum impingit Bertius, et ante eum Crantzius lib. 3. cap. 15. ipse, qvum Electores in stirpe Ascanio-Brandenburgica veteri numerat a Sec. XII. hic, qvum a X. Seculo inde deducit, errore hodieqve in vulgus sparso, et cuius vitandi ratio constare debuit Christiano Adolpho Thuideno part. 3. lib. 9. p. 291.*

(x) *Io. Micraelius syntagm. p. 116. VValdemarum XIV. vocat, qvum tamen certum sit, alterum huius nominis fuisse, et in eo ac fratre Ioanne IV. familiam antiqvam Ascanio-Brandenburgicam desiisse. Vid. Crantzius Vandal. lib. 8. cap. 3. et VVolffgang. Iustus in descript. March. Io. Henr. Alstedius Chronolog. geneal. p. 538. 539. Neqve huc pertinet VValdemarus personatus, de qvo vid. Albert. Argentinens. Chron. p. 146. et iterum Crantzius Vand. lib. 8. cap. 19. Micrael. Chr. Pomeran. l. 3. p. 334. 335.*

(y) *Friedeborn. Chron. p. 51. 52. Nempe asserebant Pomerani, Vckermarchiam sibi deberi propter primos acqvirentes; Bavarus opponebat neglectam inaugurationis beneficiariae petitionem, et qvemadmodum Marchiam Brandenburgicam, licet contra obtestantibus Anhaltinis, ita Vckermarchiam, Prentzloviam et Pasevvalcum civitates pro amissis habebat, et qvibus hoc magis excidissent Pomerani, qvod imperator tanqvam supremus beneficiarius Dominus sententiam pro Ludovico filio dixisset: sed Pomerani obtendebant, ius a maioribus semel qvaesitum nec ab imperatore alienari, aut interverti sibi posse: de neglecta inaugurationis petitione reponebant, nullum contra se allegari dolum posse, qui per continuas imperii turbas, ac bella civilia impediti fuissent petere inaugurationem: qvam voluissent, si per ipsos stetisset: praesertim qvum eo rerum statu qvoqve in dubio fuerit, utrum legitimi imperatoris di-*

gni-

gnitatem confecutus esset Ludovicus Bavarus: ergo non posse non proficere sibi excusationem, velut tempestivam atque idoneam tuendae suae caussae. Vid. Micrael. Chron. p. 324. sq. At his adeo non dabat locum Ludovicus, ut quoque induci executionem armis festinaret: nec cessabant Pomerani contrahere copias, et defendere ius avitum: sed eventus probavit, Bavaros, quam contra Austrios Bohemosque felices hactenus fuissent, tam nunc infelices esse contra Pomeranos.

(z) Primo pugna Cremmensis, deinde publica transactio, tum sententia in Comitiis A. 1338. pro conservando Pomeranorum iure latae lites has finivit: demum accessit A. 1355. Caroli IV. confirmatio, quae quicqvid unqvam ullo praetextu contra Pomerano-Stettinenses duces in hac caussa actum decretumve esset, sustulit penitus, atque omni modo abrogaret. Io. Micrael. lib. 3. p. 330. 331. 341. Tantum de Ludovico IV. addimus, eum contra Pontificem Ioannem XXII. egregie, contra Austrios Bohemosque, illa aetate ob augustam dignitatem aemulos, fortiter stetisse: sed adversus Pomerano-Stettinenses prave cepisse iram, largitionem in praeiudicium factam retractasse postea, atque pronum iasse irritam: ut extra hanc caussam eximere velit nostrum Io. Bapt. Egnatius p. 628. in Lud. Bav. confer. quae differuimus nuper ad histor. aug. usque ad Maximil. I.

IX. Sed non diuturna horum temporum qvies erat, poſtqvam Hohen-Zollerani, qvi auſpicio Imp. Sigismundi in Marchiam Brandenburgicam ſedes transferre coeperunt, Ottonem II. et Caſimirum VI. Duces Stettinenſes a poſſeſſione Vckermarchiae depellebant: nec multo poſt commiſſum praelium, in qvo multi Pomeranorum caeſi, reliqvi in diſcrimine fuerunt, donec vicini Principes oſtenderent pacis componendae rationes. Cumqve ad tempus conciliati animi eſſent, ac Pomerani iam in ſpem veniſſent ſervandae concordiae et tranqvillitatis, Fridericus Septemvir opportunum ratus iterum experiri

 ar-

armis, ac proferre ditionis suae fines, bellum hactenus intermissum instaurat, collectis copiis Angermundam intercipit: mox concurritur in oppido collatis signis, acriusqve (*a*) qvam unqvam antea, dimicatur: sed vincit praelio septemvir, et simul incerta casuum reputans, rationem seqvi mavult, qvam fortunam, qvae hactenus secundas adversasqve res miscebat. Itaqve de pace actum, et consilio diligenter habito conventum, ne posthac Pomerani Marchioqve bellum facerent, sed obliviscerentur superiorum iniuriarum, ac foedere (*b*) fidem amicitiamqve devincirent.

(a) *Ex Petro Haftitio Micraelius l. 3. p. 356. seq. cum qvo conf. Chr. Mar. b. inprimis Andreae Angeli.*

(b) *Dicitur pactio Templinensis, non qvatenus successionem, sed pacem concordiamqve mutuam denotat. Ceteroqvin prima successionis in Pomeraniam, qvae ducatu Stettinensi describitur, promissio contigit Ludovico Ludovici IV. Caes. filio: altera, id est, Soldinensis, qva Septemviro Friderico II. cessum est directum ducatus Stettinensis dominium, minime valida fuit, ius suum asserentibus ducibus VVolgastensibus, tanqvam proximis agnatis, et post accuratum litis ex iure Langobardico decisae iudicium, eo titulo obtinentibus, qvo superiores Stettini duces habuerant. Verum ab obitu Friderici II. iterum haec coepta controversia est, solicitante Alberto II. Septemviro Fridericum III. imp. de impertiendo sibi dominio beneficiario directo in Ducatum Stettinensem: annuit imperator alienato a VVolgastensibus animo, qvod in ius Caesareum vocati, se non stitissent. Renitebantur interim VVolgastenses, possessioni iuris innixi; Septemviro sufficere debuit, nancisci occasionem sumendi tituli Pomeraniae Ducis, et una nancisci occasionem futurae successionis, si qvidem Ducatus ille successore vacaret. Tertia demum valuit, qvae appellatur Grimmiensis, coaluitqve A. CIↃ. IↃ. XXIX. Zillerus perperam signat A. CIↃ. IↃC. XXIX. descript. Pom. p. 592. nisi forte typographi mendum est. Autor mantissae*

ad

ad instr. pac. p. 107. pleraqve descripsit ex Io. Micrael. Syntagm. histor. Neqve accurati hic sunt Besoldus et Schonvornerus: nec huius instituti est, evolvere, quid scribat, quidve sentiat Limnaeus. Tantum satis fuerit, hic observare huc primam originem veri ac indubitati et reciproci, et plene firmiterqve iure nixi pacti successionis inter Pomeraniae Duces, ac Marchiones Septemvirosqve Brandenburgicos. praeterea tituli Ducis Pomeraniae, Ducibus consentientibus atqve sine contradictione ad Brandenburgicos delati: Micrael. Chr. l. 3. p. . Sic statqve huc confirmatio Prentzlouiensis de A. cIↄ. Iↄc XXXVII. mortuo Bogislao XIV. Georgium VVilhelmum, Septemvirum Brandenburgicum, ex pacto Grimmiense Pomeraniae possessionem continuatum esse: (3.) A. cIↄ Iↄc XLI. Fridericum VVilhelmum, Patrem in Septemviratu et Pomeraniae successorem, legatos ad comitia dimisisse, qui respectu ducatus Pomeraniae, Stettinensis et VVolgastensis, rationem quorum A. 1551. Duces ipsi pacti sunt mutuam successionem, sedendi suffragandiqve dignitatem habuerunt. (4.) A. cIↄ Iↄc XLIIX. qvo Osnabrugae pax coivit, valde commutatas esse rationes El. Brandenburgici, et contra, qvam pacto successionis constitutum fuerat, Citeriorem Pomeraniam, ac urbes qvasdam ulterioris Pomeraniae, satisfactionis belli causa, sub ratione atqve titulo dominii beneficiarii perpetui, iussu ac decreto Imperatoris et imperii pervenisse ad Svedos, facta qvoqve per legem publicam spe certissima succedendi in ulteriorem Pomeraniam, si contingat extingui in universum familiae Brandenburgicae mares: de Nova Marchia, provincia Stenbergensi, Vierradem et Lockenitz, Vid. acta Svedo-Brandenburgica, inprimis memoriale ablegatorum et responsum Caesareum eo pertinens, de A. 1662. valitura insuper inauguratione beneficiaria, simul cum Brandenburgicis respectu Pomeraniae ulterioris accipienda: ubi tit. 10. §. titulus. sed praefectura Butovia et Lovvenburgum iam veteri nexu beneficiario referuntur ac pertinent ad Poloniae regnum: Conf. Io. Micrael. Chron. lib. 3. part. 2. p. 523. Paul. Piasecius Chron. gest. per Europ. ad A. 1633. eodemqve iure addictae novissime sunt Friderico VVilbelmo Electori A. 1657. cuius heredibus masculis obvenient, qvatenus beneficia Prussiae regalis: Vid.

D 3 *trans-*

transactio Velaviensis A. 1657. 19. Septemb. Nam ratione Prussiae ducalis feudum beneficiaria lege est, irritis prorsus Kalksteinii machinationibus, de qvibus prodit Henricus Brevverus lib. 3. hist. decennal. p. 254. ineptus etiam cuiusdam e societate Iesu rationibus, qvi in MSP. descript. regn. Pol. arbitratur, Electorem non tam feudarii (*loqvitur autem de Prussia ducali*) denominationem delevisse, qvam ad tempus suspendisse. (5.) *ratione Pomeraniae Reges Svediae ius territorii nomine debitum, ac dignitatem imperii Ordinis ex pacto Osnabrugensi statim A. CIƆ. IƆC. XLIIX. vere ac reipsa consecutos, sed sessionis qvae dicitur, atqve suffragii usum serius multo, ac demum in proximis Comitiis Ratisbonensibus obtinuisse, primo inter omnes Lanckio, qvi auspiciis sui regis eum rite ac more Tevtonico obtinuit.*

X. Demum post turbatas saepe afflictasqve domi res, * Pomerani sub Svedica Brandenburgicaqve tutela hodie ** refoventur ac crescunt, et non modo pacis per hos partae fructum, sed etiam pristinae felicitatis exemplum habent.

* *De calamitatibus, qvas sensit tempore belli tricennalis, Vid. Io. Micraelius, Bog. Phil. Kemnitz. conf. Petrus Baptista Burgus in Mart. Svec. German. Rutgerus Hermannides, Adolf. Brachel. Io. Loccenius, Matth. Lungvvitz, summatim Theatrum Europaeum. Sed turbatus tum Germaniae status erat, nec Pomeranorum, sed ex imperio imperii hostium culpa. Pomeranorum enim erga suos magistratus obseqvium iam a primo seculo in Romanorum ore fuit, et studium pacis ab antiqvissimo tempore laudatur. Vid. Iod. VVillichius ad Germaniam Taciti apud Simon. Schard. T. 1. rer. Germ. p. 66. Causas alioqvi facile colligas ex disceptatione Balthasaris Henckelii* de bello tam protectitio qvam vindicatorio Gustavi Adolfi *A. 1631. Stettini ed. et literis publicis fecialibus, ac scripto, cui titulus: arma Svecica: conf. Richard. Zuccheus de iud. inter gent. p. 453. seq.*

** *Sunt*

** *Sunt enim tam necessitudine, qvam finium propinqvitate coniuncti Principes, et respectu Pomeraniae eodem iure atqve iisdem legibus imperio Germanico innexi. Praeterea huiusmodi concordia communis salutis interest, inprimis Saxoniae limitis, cuius aditum Pomerania munit. Sed qvanqvam hoc ita sit, tamen nostra memoria Anno 1659 Elect. Brandenburgicus, traducto in Pomeraniam exercitu, armis contra Svedos contendit, effecitqve, ut parum a periculo abesset: pertulit tamen impetum constantia et virtute Stetinum, inprimis Wrangelii et Wurtzii cura. Vid. Thulden. Hist. Europ. Enn. sec. lib. 1. ad Ann. 1659. usqve dum remitteretur ira fortissimi Electoris, et pax mansvetudiniqve daretur locus: illuc spectat instrumentum pacis Olivensis §. 26. qvo concordia ac tranqvillitas reducta, et* [illegible] *bello occupatum erat, eo iure repetitum est, qvo ex pactis* [illegible] *in fidem potestatemqve Svedorum venerat. Similiter de Rugia, qvae Svedis imperium addixit Anno 1648. Inst. pac. Osnabrug. tit. 10. §. primo: cautum est a rege Daniae Anno 1658. in pace Roschildensi §. 7. et postqvam haec rupta est, iterum Anno 1660. pace Septentrional. §. 9. Verum satis haec dicta arbitror, nisi qvod existimem, addi aliqvid in extremo operis posse de originibus, atqve urbium Pomeranicarum. Ac de illo forte qvis eorum sententiam probet, qui nullum ius scriptum prius viguisse apud Pomeranos putant, qvam imperatori et imperio Ro. obtemperarent, aut certe priusqvam Saxones eo venirent; qvandoqvidem hi, primo adventus tempore, vix ausi fuerint svadere Pomeranis usum suarum legum, qvod ea conditione potestatem habitandi sibi datam esse scirent, ut nil dicere liceret publice de Christianis sacris temere: nec arbitreris, id pertinuisse etiam ad leges, qvas perinde forsan, ac Christianum nomen odio habuerunt, nisi moribus Pomeranicis comprobatae essent. Eo Vid. Ad. Bremens. lib. 2. cap. 12. Helmold. lib. 1. cap. 2. Porro observandum de Stetino est, iure Magdeburgico uti incepisse Anno 1243. V. Rutgerus Hermannides in Pomeran. citer. p. 511. et ex eo Zeillerus in Pomeran. p. 744. Sed qvod urbium primordia spectat, diu ante fuisse colligas, siqvidem commemorat Sec. XI. Adamus*

mus

mus Bremensis, Vrbem Iumne, commerciis Septentrionalium ditissimam appellans, eod. lib. 2. cap. 12. Helmold. eod. lib. 1. cap. 2. cui Vinnetam, alii Iulinum vocant. confer. And. Sev. Vellei. ad Ad. Bremens. lib. 2. cap. 18. qvanqvam fabulam narrant, qvi hanc a Iulio Caesare aut adversus hunc conditam tradunt: Cramer. lib. 1. cap. 12. Praeterqvam enim qvod Iulius Caesar nunqvam penetravit in Germaniam magnam, cuius olim regio Pomerania, uc t nondum hoc nomine cognita, fuit, aliter scribendum alii hoc nomen dicunt, VVollinumqve efferunt, qvod vulgo Iulinum solent, Mart. Zeiller. descript. Pom. p. 757. cuius itinerarium Pomeran. *ipse Ricciolus non dubitavit laudare, Geograph. Reformat. lib. 1. Isagog. p. 26. praeter hanc adducitur ab Helmoldio Dimine, qvam lib. 1. cap. 2. civitatem, lib. eod. cap. 65. munitionem, lib. 2. cap. 18. castrum vocat. De Stralesundo confer. Crantzius Vandal. lib. 7. cap. 5. ac de Stetino 5. Vandal. cap. 31. qvod non statim cum Sedinis (Sidinis) Ptolemaei coepit, neqve origo ante sec. XII. qvaerenda, nec DIMIN Helmoldi cum SIDIN confundenda est. Stargardia primum XIII. seculo circundata est muro: Spectantqve huc Gartzium, Greiffenbaga, Prentzlovia, et similes Pomeraniae urbes, de qvibus vid. Io. Micrael. in Chron. Pom.*

❧) (o) (❧